Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 393
Quelle:
Copyright:

tur *Pentateuchus*, *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *Heſter*, *Tobie*, *Judith*, IV. *Regum*, *Prophetae* min. *Job*, cujus maxima pars trajecta poſt *Danielem*, *Pſalterium*, *Esdras*, *Machabaei*, *Prophetae* maj. *Epiſtolae Canonicae* et *Paulinae*. Nihil igitur de *Paralipomenis* et *Libris Salomonis*, nihil de *Evangeliis* et *Apocalypſi*. In marginibus citantur *Capita Libror.* et varia ſuperadduntur. Atque ejusmodi adminiculis fovendum erat ſtudium Verbi Dei eo tempore, quo Biblia integra manu deſcripta facile privati hominis loculos exhauriebant. Itaque, qui ſacrae lectionis neglectum majoribus noſtris exprobrabant, parum ultra naſum ſuum proſpexere. Ego vero lubenter ἐπικελευσμα repeto, quod *Raph. Zovenzonius Tergeſtinus* noſter *Plinio* majori a *Joh. de Spira Venetiis* 1469. primum typis excuſo accinuit:

Feſſa manus quondam, moneo, calamusque quieſcat;
Namque labor ſtudio ceſſit, et ingenio.

CCXLII.

U. 51 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 286. f. non una manu per duas columnas nitide exaratus, coloribusque diſtinctus, et ducali olim Collegio donatus a M. *Ruperto Weiſſenburger ex Pruck* Theol. Prof. et D. *Stephani* Canonico, qui a. 1469. Academiae Rector praefuit, complectitur ſequentia: I. *Incipiunt capitula ſuper diſtinctiones exemplorum noui et ueteris teſtamenti abbreuiatas et eductas ad diuerſas materias ſecundum ordinem alphabeti per fratrem bindum* (Guerri) *de ſenis ordinis fratrum heremitarum ſancti Auguſtini.* Cenſentur *Capitula* CXXXVIII. quorum primum *de Abſtinentia et Jejunio*, poſtremum *de Zelo indiſcreto*. Plures fuiſſe, qui ejusmodi operam Verbi Dei Praedicatoribus potiſſimum navarunt, notum eſt Eruditis, neque ingratum fuerit Lectoribus, ſi hic *Cuique Suum* tributum videant. *Nicolaus de Hanapis* O. P. ✠ 1291. compilavit *Exempla ſacrae Scripturae* ordine quodam doctrinae. Horum initium: *Creatio rerum fuit ita mirabilis* &c. Edita ſunt ſub *Bonaventurae* nomine et titulo *Bibliorum Pauperum Venetiis* jam 1477. 4. Falſus tamen eſt *Quetifus* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 426. aſſerendo ſimpliciter, *Hanapi* ordinem converſum fuiſſe in alphabeticum. Vide *Bonaventurae Opp. omn. Lugd.* 1668. T. VII. p. 436. f. *Thomas de Hibernia* itidem Ord. Praed. ✠. poſt annum 1316. concinnaverat *Flores Doctorum*, quibus additi ſunt in poſterioribus Editionibus etiam *Flores Bibliorum* ordine alphabetico, hoc initio: *Abſtinentia. Vir ſive Mulier cum fecerint votum* &c. Atque hos *Flores* negat *Quetifus* T. I. p. 745. eſſe *Hibernici*, et reipſa ſine ejus nomine mihi adjacent impreſſi *Antverp.* 1555. 8.